VETUS TESTAMENTUM

Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh. Seite 254r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift





Incipit primus liber Machabeorum Capitulum primum

Et factum est post quam percussit allexander philippi macedo qui primus regnavit in grecia. Egressus de terra cethim darium regem persarum et medorum constituit prelia multa et omnium obtinuit munitiones et interfecit reges terre et pertransiit usque ad fines terre et accepit spolia multitudinis gentium et siluit terra in conspectu eius. Et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis et exaltatus est et elevatum cor eius et obtinuit regiones gentium et tyrannos et facti sunt ei in tributum. Et post hec decidit in lectum et cognovit quia moreretur. Vocavit pueros suos nobiles qui secum erant nutriti a iuventute sua et divisit illis regnum suum cum adhuc viveret. Et regnavit allexander duodecim annorum et mortuus est. Et obtinuerunt pueri eius regnum. Unusquisque in loco suo et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius et filii eorum post eos annis multis et multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccatrix anthiochus illustris filius anthiochi regis qui fuerat rome obses et regnavit in anno centesimo xxvii° regni grecorum. In diebus illis exierunt ex israel filii iniqui et suaserunt multis dicentes. Eamus et disponamus testamentum cum gentibus qui circa nos sunt quia ex quo recessimus ab eis invenerunt nos multa mala et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo et abierunt ad regem et dedit eis potestatem ut facerent iusticias gentium. Et edificaverunt ierosolimis gymnasium secundum leges nationum et fecerunt sibi preputia et recesserunt a testamento sancto et iuncti sunt nationibus et venundati sunt ut facerent malum. Et paratum est regnum in conspectu anthiochi et cepit regnare in terra egipti ut regnaret super duo regna. Et intravit in egiptum in multitudine gravi in curribus et elephantis et equitibus et copiosa navium multitudine et constituit bellum adversus ptolomeum regem egipti. Et veritus est ptolomeus a facie eius et fugit et ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit civitates munitas in terra egipti et cepit spolia terre egipti. Et convertit anthiochus postquam percussit egiptum in centesimo et quadragesimo et tercio anno et ascendit ad israel et ascendit ierosolimis in multitudine gravi et intravit in sanctificationem in superbia et accepit altare aureum et candelabrum luminis et universa vasa eius mensam propositionis et libatoria et fialas et mortariola aurea et velum et coronas et ornamentum aureum quod in facie templi